

serio, nequid de ceremoniis mutet, aut sumpturum se de eo poenas dignas. Pastor, qui iam degustavit Euangelii potentiam, mavult expectare crudelissimum supplicium quam obtemperare impio mandato Episcopi. Hoc ante octiduum accidit. Unde coniectura fieri potest, esse iterum aliquid prae manibus, cuius fiducia incipient iam erigere cristas papistae. Sed desino te impedire diutius. Hospes meus et coniux²² iusserunt me plurimam salutem suis verbis tibi, uxori et filiolae²³ adscribere, quas quaeso meo quoque nomine quam diligentissime salutes. Bene vale, ornatissime preeceptor! Datae Grymmæ XVI. Novembris anno 1539.

III.

S. D. Gratias tibi ingentes ago, doctissime domine, quod mihi de iis, qui peste isthic correpti dicebantur, certi aliquid scripsisti. Magna enim in solitudine fui, quae etsi tuis literis levata multum est, tamen adimi prorsus non potuit. Nam quod ad Hallerum quidem attinet, valde gaudeo eum salvum venisse in patriam. Quod autem de Wolfgango scribis, vehementer eius vicem doleo. Quia enim eum et propter ingenium optimum et propter virtutes dignissimas liberali iuvene, pietatem vide-licet, modestiam et veritatem, amo plurimum, praeter quam quod est mihi propter communem patriam et longam consuetudinem coniunctissimus, fieri non potest, quin eius adverso casu vehementer afficiar. Qua de causa etsi minime dubitabam, quin pro tua pietate antehac praestititisses omnia humanitatis officia hospiti misero et deserto et adhuc sis studiose praestaturus, etiam sine mea commendatione, tamen praeterire non possum, quin te summopere etiam rogem, ut nequid deesse illi patiaris, quod ad valetudinem ipsius recuperandam conducere videbitur. Si quid aeris alieni contraxit tempore, quo decubuit, aut adhuc contrahet, bona fide solvet omne. Pro quo ego non dubitem meam fidem interponere. Habet patrem pium et liberalem et amantem nostri ordinis, qui pro istis vestris officiis non erit ingratus. Has literas quaeso cures aliqua ad Wolfgangum perferri, et siquid volet mihi nuntiare vel scribere etiam, id des operam ad me uti mittat Grymmam, ubi mansuri sumus ad novilunium usque proximum. Quo intervallo si vos ambos collegas²⁴ hic videre et alloqui liceret, nihil est, quod maiori mihi vohuptati esse posset. Certe hospes meus Gengebachius vestrum adventum summopere expetit. Quare quaeso, vel recollendarum virium et recreandorum animorum causa huc excurrite et quicquid est curarum in silva proxima sub arbore sepone, recepturi si videbitur in redeundo. Nam hospes noster decrevit vobiscum omni genere laetitiae certare etiam, ubi adveneritis. Dominus Philippus misit mihi exemplum literarum, quas suo nomine ad Regem Angliae misit bene longas²⁵; eas si nondum vidisse vos intellexero, faciam

²¹ Johann VIII. von Maltitz, am 7. Januar 1540 verwahrte ihn Herzog Heinrich von Sachsen „wegen seiner Bestrebungen, der angebahnten Reformation entgegenzutreten“, vgl. Machatschek, Geschichte der Bischöfe des Hochstiftes Meißen (1884), S. 708.

²² Kunigunde, vgl. Weimarer Lutherausgabe 48, 116.

²³ Gemeint ist die zweite Tochter Melanchthons, die am 19. Juli 1531 geborene Magdalena, die spätere Gattin Kaspar Peusers, vgl. Nik. Müller, Philipp Melanchthons letzte Lebenstage, Heimgang u. Bestattung (1910), S. 54.

²⁴ Myconius u. Cruciger.

²⁵ CR 3, 804 Nr. 1868.